

L. v.  
DISPUTATIO FEVDALIS  
QVINTA:

EX SECUNDO LI-

BRO SCHOLARVM FEV-  
DALIUM DESUMTA:

ET IN INCLYTA ARGENTO-  
ratensium Academia publici exercitij  
causa proposita,


a  
GEORGIO OBRECHTO IC.

Argentinensis Reipub. Aduocato, & Academizæ  
Antecessore.

Respondente

OTHONE VVINTERO C. H. HESSO.

Disputabitur mense Februario.



ARGENTORATI  
Excudebat Antonius Bertramus, Anno  
M. D. XCIX.

DN. LUDOVICO PINCIERO:  
Viro Reuerendo, Clariss: & Consultiss:  
Iurecons. præstantissimo:  
Cathedralis Ecclesiae Lubecensis  
Decano dignissimo:  
Reuerendiss: & Illustriss: Holsatiae Ducis &c.  
Confiliario intimo.

E T  
DN. HERMANNO UVLTEIO,  
Viro magnifico, itemque Clarissimo  
& Consultissimo:

Fure Conf. Celeberrimo:

IN HASSIA

Illustrissimorum Principum Confiliario:  
Summi Dicasterij Adseffori:  
Academiaq; Antecessori:  
Promotoribus & Meccenatibus suis  
obseruandissimi:

Hanc DE OBJECTO FEVDI Disputationem  
IN

Noni anni felix auspicium,  
Debita obseruantia pignus, &  
Perpetua gratitudine symbolum,  
L.M.Q. offert, dicat, dedicat:

Otho Winter C. H. Hesus.

DISPUTATIO QUINTA:  
EX SECUNDO LIBRO SCHO-  
LARVM FEVDALIVM DESVMPTA;  
DE OBJECTO FEVDI.  
CAPVT TERTIVM

Thesis I.

**D**icitur quod in causa efficiente, & subiecto feudi satis ostendimus, quinam feudum dare, vel accipere possint: Sequitur ut eius obiectum explicemus: ut ita intelligamus, quanam res in feudum dari, vel accipi possint.

2. Parum enim cause efficientis & subiecti cognitio nobis prodesset, nisi quoq; obiectum cognitum haberemus, quae scilicet res in feudum dari, & accipi queant: quia ex eo non leues feudi utilitates dependent.

3. Nam materia feudi sublata, simul omnis feudi tollitur utilitas: & reliquis causis locus esse nequit: quia nisi sit materia, nec causa efficiens agere, nec ad formam materie imprimendam, perueniri potest.

4. Et quidem in genere omnes res in feudum dari, & date accipi possunt: nisi quacarta ratione prohibentur. Res enim sunt materia feudi: at haec tales esse debent, ut in feudum dari possint.

5. Haec autem res vel corporales sunt: vel incorporales i.e. d. de rer. divisi.

A 2 Corpo-

6. Corporales sunt, quæ sub aspectum, sensumq; cadunt:  
quæq; tangere, vel tangi possunt.

7. Et ita rerum corporalium nomine, sola individualia  
continentur: quia hæc sola sub sensus cadunt.

8. Hæ res corporales, rursus vel sunt mobiles, vel im-  
mobiles l.i.in pr.D.de edil.edic. & l.pen.in pr.C.de iur.dot.

9. Mobiles dicuntur, quæ de loco, in locum moueri pos-  
sunt.

10. Et hoc fit vel ab alijs, vel à se ipsis.

11. Ab alijs fit in rebus inanimatis. Hæ enim non per-  
se, sed tantum ab alijs mouentur, ut vestis, candelabrum,  
mensa, pecunia, l. à Dño Pio. 15. §. in venditione. D. de re iu-  
dic. & l si chorus. 79. §. 1. D. de leg. 3.

12. A se ipsis hoc fit, in rebus animatis, & que perse, &  
suo motu agitantur, atq; mouentur, ut sunt, serui, iumenta,  
pecora, horologia, automata, d.l. à Dño Pio. §. in venditione.

13. Ha autem res mobiles, etiam interdum pro immo-  
bilibus habentur: si nimirum rebus immobilibus accedunt,  
arg. l. 3. §. pertinet. D. de vi & vi arm. & no. D. Vult. in tract.  
de feud. c. 5. n. 1. in fi. Et hæc de reb. corporalibus mobilibus.

14. Res corporales immobiles in iure dicuntur, quæ eo-  
dem loco consistunt, nec loco mouentur: & quæ solo co-  
herent, quæq; reb. soli annumerantur. Et ita alia verè tales  
sunt: alia pro talibus habentur.

15. Verè immobiles res sunt, quæ semper in eodem loco  
consistunt, nec de loco in locum mouentur, ut sunt res soli,  
nempè prædia, fundus, area, l. 1. §. hoc interdictum. D. de vi  
& vi arm.

16. Pro immobilibus habent res, quæ solo coherent,  
vel qua-

vel quæ rebus soli annumerantur, ut mox pluribus ostende-  
mus. Et hæc de rebus corporalibus.

17. Res incorporales dicuntur, quæ non cadunt sub sen-  
sum, & aspectum: sed quæ intellectu & animo percipiuntur,  
cuiusmodi sunt iura in rebus constituta. §. 1. Inst. de reb.  
corpor. & incorp.

18. Et hæc quoq; res interdum rebus immobilibus annu-  
merantur, vt not. Gart. lib. 2. obseru. cap. 10. cuiusmodi sunt  
iura venandi, iura piscandi, iurisditiones. & similia, no. D.  
Vult. lib. 1. de Feud. c. 5. n. 1. in fi.

19. His ita præmissis dicimus, non solum res proprias,  
sed etiam alienas in feudum dari posse.

20. Propria autem res, vel est verè propria, vel quasi  
propria.

21. Verè propria, vel est unius tantum, vel est com-  
munis.

22. Si unius tantum res propria est, omnino in feu-  
dum dari poterit: lib. 2. F. tit. 54. quia de hac Dominus pro  
libitu disponere potest, l. in remandata. 21. C. mand. & odios  
sum ac rigor plenum est, hanc potestate Domino adime-  
re, Menoch. cons. 57. n. 9. & 10. vol. I.

23. Sic quoq; communis res, h.e. pars pro individuali, à Domi-  
no in feudum dari potest. lib. 2. F. tit. 58. §. 1. quia eam quis  
alio modo, ante acceptum iudicium familie Herciscunda, vel  
communi dividendo, alienare potest. l. portionem. 12. C. de  
donation.

24. Et si feudatarius non vult in communione mane-  
re, datur ei actio familie herciscunda. l. vlt. C. Comm. divid.  
quia nemo inuitus in communione manere cogitur, d.l. vlt.  
A 3 & quia

& quia in feudarium omnes actiones, tam actiue, quam passiuæ transcurrunt.

25. Siue enim agat, siue conueniatur, firmum est iudicium. lib. 2. F. tit. 26. §. si vasallus: quia & agendi, & excipiendi potestatem habet, d. lib. 2. F. tit. 43.

26. Consequitur autem Vasallus idem in re communis, quod Dominus habuit cum coherede, vel socio suo: & sola prescriptione 40. annorum perimitur, d. lib. 2. F. tit. 58. §. 1. & not. Cuiac. lib. 4. de feud. tit. 70.

27. Siue autem propriares vnius tantum, siue communis sit, multum refert, an sit dantis, an vero accipientis propria.

28. Res propria dantis, citra dubium recte in feudum datur, ut iam vidimus: id quod Schraderus de bonis Imperatoris patrimonialibus absq; omni dubio esse dicit: quia cum hoc cuilibet etiam priuato concedatur: multo magis Imperatori permitte debet, arg. l. 3. in f. D. de offic. Praetor. & no. Schrad. de F. part. 4. c. 1. n. 4. cum seqq.

29. Saltem dubitatio de re violenter occupata oritur: an eam Dominus occupanti in feudum concedere, aut si ab alio in feudum data sit, confirmare possit?

30. Nos distinguendum dicimus. Aut enim dans scit rem vi esse ab alio occupatam: vel nescit.

31. Prioricasu, datio feudi non valet: quia ab eo certa dantis voluntas. Hic enim rem vi occupatam esse ignorat. Itaq; hoc feudum, ut surreptitium, meritò non subsistit. l. si qua. 6. & ibi gl. & Barthol. C. de fund. & salt. rei domin. lib. 11. & not. Bald. in l. decernimus. 16. n. 3. C. de Sacros. Eccles.

32. At posterioricasu, refert, an res violenter occupata ab

ta ab eius domino, an vero ab alio, in feudum occupati detur.

33. Si datur arei Domino, feudum subsistit: quia subsequentे voluntate & consensu Domini, precedens rei vitium purgatur, arg. l. 2. & ibi Barth. in pr. & Bald. n. 1. C. de his que vi met. caus.

34. At si datur a non Domino, tum is, vel est priuatus aliquis, vel alius, qui superiorem non recognoscit.

35. Priori specie, non subsistit feudum: quia res violentia infeudata est. Hac enim cum sit vicia, & cum non sit in potestate dantis sine consensu Domini dari non debuit, arg. l. id quod nostrum. 11. & l. nemo. 54. D. de R. I.

36. At posteriori specie, iterum refert, an violentares publicæ utilitatis causa alteri in feudum detur: an non ita detur.

37. Si datur publicæ utilitatis causa, feudum non im-merito valet. Et si enim prima fronte iniquum videatur, alterum re sua carere: tamen publica utilitas hanc iniquitatem tollit. Huius enim maior, quam priuata utilitatis, semper habenda est ratio, no. DD. in l. 3. D. de offic. Praetor.

38. Ex quo Bald. & Iason dicunt, Imperatorem, vel alium, qui Superiorem non recognoscit, pacis constituenda, vel impetranda gratia, posse bona subditorum uni auferre, & alij concedere. in l. conventionum. 5. D. de pact.

39. Quo casu illorum sententia nobis placet, qui rei Dominio, verum rei precium, soluendum esse iudicant, ut Schraderus, Matth. de Afflict. & Andr. de Isernia affirmare dicit in tract. de F. p. 4. c. 1. n. 38. quia hac ratione omnis iniquitas tollitur.

40. Quod si vero res violenta, sine publica utilitatis respectu

spectu alteri in feudum datur, feudum meritò non valet,  
not. Schrader. d. p. 4. c. 1. n. 38. quia hoc tam dantis, quam ac-  
cipientis persona exigit.

41. Dantis persona: quia hic de suo, non de alieno li-  
beralis esse debet: & quia cum nihil iuris ei in re competit,  
in id potius incumbere debet, ut ea vero Domino restitu-  
tur, quam ut violento posse sibi relinquatur.

42. Accipientis persona: quia iniquum est, hunc in-  
uitio altero, rem, quam vi occupauit, retinere, & ita cum al-  
terius damno locupletiorem fieri: Et hac si res propria sit  
dantis.

43. Quod si quis autem alicui in feudum rem propriam  
accipientis concedit, refert an accipiens, ius suum ignoret:  
an sciat.

44. Si ignorat, nihil agitur, not. Menoch. cons. 1. n. 87.  
vol. 1. quia ignorantis nullus est consensus. Nihil enim tam  
contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam dete-  
git, ait Vlp. in l. si per errorem. 15. D. de iurisdict.

45. At si hoc scit feudum subsistit. Potest enim quis  
rem propriam ab alio in feudum recipere, not. multis aucto-  
ritatibus Menoch d. cons. 1. n. 63. Et ut nos loquimur. Es kan  
einer dem andern sein eigenhumb aufzutragen/vnd zu Le-  
hen machen.

46. Ratio est: quia Dominus re sua pro liberrimo ar-  
bitrio uti, & abuti, deg. ea pro libitu disponere potest, d. l. in  
remandata. 21. C. Mand. Sed de hac re suo loco plura: Et haec  
dere vere propria.

47. Quasi propria res, à nobis feudum iam constitu-  
tum dicitur. Hoc enim tam Domini, quam Vasallii contem-  
platione

platione quasi propriares non male dici videtur.

48. Domini respectu ob proprietatem, quam retinet,  
lib. 2. F. tit. 8.

49. At respectu Vasallii, propter usum fructum, quem ra-  
tione feudi percipit, lib. 2. F. tit. 23. in fi. Usus fructus enim  
pars dominij esse dicitur. l. 4. D. de usu fr.

50. Vt ergo verò tam Dominus, quam Vasallus, feudum  
alteri rursus infeudare potest.

51. Dominus quidem hac conditione: Si feudum si-  
bi, vel heredibus suis, post mortem prioris possessoris,  
apertum fuerit, lib. 1. F. tit. 9. & lib. 2. F. tit. 26. §. moribus:  
Vide infra thesi 110. cum seqq.

52. Nec refert, an Dominus hoc ignorante priore pos-  
sessore, an eo sciente faciat: dummodo adhuc viventi nul-  
lum damnum infligatur, lib. 1. F. tit. 27. §. 1. & feudum nullos  
successores habeat d. tit. 27. §. 1.

53. At vasallus de feudo quod habet, alterum hoc mo-  
do inuestire potest, ut det, sicut accepit lib. 2. F. tit. 48. non ar-  
ciori, nec deteriori, sed eadem, qua habuit, lege, lib. 2. F. tit.  
38. §. profecto. d. tit. 48 & tit. 108, ubi not. Et hac de re tam  
verè, quam quasi propria.

54. Res aliena, vel est Ecclesiastica, vel Secularis.

55. Res Ecclesiastica sic circò à nobis aliena dicitur: quia  
non est concedentis, sed Ecclesiae propria.

56. Sunt autem res Ecclesiastica, vel extra commerci-  
um, vel in Commercio.

57. Extra commercium sunt, vel dispositione legis, vel  
dispositione hominis.

58. Dispositione legis, ut res sacra, sancta, & religiosa.

B. §. nul-

§. nullius, cum §. seqq. Instit. de rer. diuis. item tituli, & decima post concilium Lateranense, lib. I. F. tit. 6. in pr. c. prohibemus, de decim. &c. cum Apostolica. de his quae fiunt à Prelat.

59. Et quidem res sacras, sanctas, & religiosas in feudum dari non posse, neminem ignorare scribit Zaf. de F. p. 4. in pr. quia dispositione leges non sunt in commercio hominum, not. Schrader. de F. p. 3. c. 1. n. 1.

60. Cum uniuersitate tamen hæres aliquando ad alios transeunt. Si quis enim in Ecclesia ius patronatus Castri, vel oppidi alicutus habeat, & alteri totum castrum, & quod ibi habet, in feudū concedat, unāius patronatus transire solet, not. D. Rosenthal. de F. c. 4. conclus. 13.

61. Sic etiam tituli, h. e. prædia illa, quæ clericis ad alimenta sunt destinata, in feudum dari nequeunt, lib. I. F. tit. 6. in pr. quia Constitutio Vrbani Secundi obstat, qua, ut tituli in feudum dari prohibentur, ita hominum commercio exempti videntur. d. tit. 6. in pr.

62. His, post Concilium Lateranense, annumeramus decimas: quia sicut hæc Synodo Lateranense in Laicos alienari, ita & in feudum ipsorum dari prohibentur. c. prohibemus 19. de decim. & primit. &c. cum Apostolica. 7. de his quæ fiunt à prelat.

63. Decima enim sunt cibis seruientium in domo Domini, & debent illis dari, à quibus Spiritualia recipiuntur. c. Ecclesiæ. §. his itaq. 13. q. F. & no. Schneid. de F. p. 2. n. 8.

64. Et propterea qui hodie iure feudi decimas vindicant, eas, ante Synodus Lateranensem, sibi, ut Ecclesiæ Vallis, concessas esse contendunt.

Cum

65. Cum autem huius probatio sit difficilima, utilitas causa receptum est, ut vetustam sui iuris possessionem, h. e. quæ hominum memoriam excedat, probare sufficiat. not. Ioan. Andr. in d. c. cum Apostolica. Alex, cons. 6. vol. I. Zaf. de F. p. 4. n. 24. & Duaren. de F. lib. 7. c. 1. Et hæc de rebus quæ sunt extrà commercium dispositione legi.

66. Dispositione hominis extrà commercium sunt res, quæ ea conditione Ecclesia sunt relata, ne alienari possint. Nou. 120. c. 9.

67. Et propterea hæres nec in feudum dari possunt, no. Aluarot. de F. lib. I. tit. I. n. 16. ubi citat Ardizone: quia infideolare, est alienare. Aluarot. d. lib. I. F. tit. I. in pr. & n. 12. Et hæc de rebus Ecclesiasticis, quæ sunt extrà commercium.

68. In commercio sunt alia Ecclesiæ bona, vt Ducatus, Comitatus, ciuitates, ville, arces, prædia, pascua, & similia.

69. Et hæc bona vel sunt in feudum dari solita, vel non dari solita.

70. In feudum dari solita bona quæ dicantur, non satis inter Doctores conuenit, quorum varias opiniones recentent. D. Rosenthal. de F. c. 4. conclus. 20. & Fachin. controv. iur. lib. 7. c. 67.

71. Nos, his omissis, in feudum dari solita bona ea esse dicimus, quorum infiderandi consuetudinem Prælati habent. Hoc enim lib. I. F. tit. I. §. 1. item tit. 6. & lib. 2. F. tit. 91. satis exprimitur.

72. Et ita in his locis non de solis personis, sed etiam de rebus agi nobis videtur: quia dum de personis agitur, quæ infiderandi consuetudinem habent, simul agitur de rebus, in quibus hæc consuetudo locum habet.

B 2

Non

73. Non enim infeudandi consuetudo in personis per se sed tantum respectu rerum inducitur : quia deficentibus rebus, etiam infeudandi consuetudo deficit.

74. Hac autem infeudandi consuetudo an etiam post constitutiones feudales, & Urbani Pontificis prohibitionem, & quomodo inducipoſſit, vehementer à DD. controvèrtitur, ut appareat ex Friderico Schenck Barone à Tautenberg lib. I. F. tit. I. D. Rosenthal de F. c. 4. conclus. 30. & Fachin. controv. iur. lib. 7. c. 68.

75. Nos arbitramur infeudandi consuetudinem, etiam post feudales constitutiones, & Urbani prohibitionem inducipoſſe: quia ratio, que olim hanc consuetudinem admisit, etiam postea locum habere potuit, & adhuc hodie potest.

76. Alias fieret, ut rebus feudalibus ad Ecclesiasticas reuersis, nullæ amplius Ecclesiasticæ res alijs infeudari possent, contra aperta iuris feudalis placita, lib. 2. F. tit. 35. in pr. ubi dicitur, Clericum posse de bonis Ecclesiæ inuestituram facere, h. e. posse bona Ecclesiæ alteri in feudum dare, & d. lib. 2. F. tit. 91. ubi afferitur, à Prelatis Ecclesiastarum, res Ecclesiasticas de nouo in feudum dari posse, modo fint rerum Ecclesiasticarum frugi administratores, non dissipatores.

77. Sic etiam existimamus cum jure feudorum non sit definitum, quomodo hac infeudandi consuetudo inducatur, id totum arbitrio judicis esse committendum arg. l. I. C. quae sit longa consuetudo.

78. Quod sit tamen semel res Ecclesiæ solenniter in feudum data fuit, plane opinamur, ubi ea ad Ecclesiam reuersa fuit, posse eam à Prelato, si expedire videt, rursus in feudum dari. c. 2. de feud.

Nam

79. Nam quia in hac prima concesſione solennia adhibitas sunt: ex eo apparet, infeudationem Ecclesiæ vitilem, & necessariam fuisse.

80. Itaq. si iterum expeditat, non immerito res illa, ad Ecclesiam reuersa, denuò alteri in feudum conceditur, not. Fachin. d. lib. 7. c. 68.

81. His ita explicatis dicimus, bona Ecclesiæ in feudum dari solita, non solum rectè à Prelato reinfeudari: sed etiam regulariter de nouo, non obſeruatis ipsis, que in alienatione rei Ecclesiasticae adhiberi debent, in feudum dari posse.

82. Rectè reinfeudantur: quia tum bona Ecclesiæ non tam alienantur, quam ante alienata renouantur. Veteris enim feudi inuestitura, non tam alienatio, quam prioris feudi renouatio est, not. communiter DD. lib. 2. F. tit. 3. in pr. Duaren. de F. c. 5. n. 6. & Gail. lib. 2. Obseru. c. 161. n. 3.

83. De nouo in feudum non obſeruatis solennibus à Prelato regulariter dantur d. lib. 2. F. tit. 35. & d. lib. 2. F. tit. 91. quia cum hac bona ante in feudum dari solita sint, non male facit, si veterem consuetudinem secutus, ea de nouo alteri in feudum concedit.

84. Et hoc communiter DD. ad eū verum esse dicunt, ut Prelatus hac bona per se, sine consensu Capituli, alteri infeudare posset, ut multos ad hoc allegant D. Vult. de F. lib. 1. c. 5. n. 14. & D. Rosenthal de F. c. 4. conclus. 21. n. 2. quia cum ea faciat, quæ ante se, alijs laudabiliter fecerunt, non videtur consensu Capituli opus habero.

85. Sic etiam hac regula locum habet: et si Prelatus juvavit, se inconsulto Pontifice nolle bona Ecclesiæ sua alienare, vel alteri infeudare: quia hac infeudatio non propriè at-

B 3 enatio,

enatio, sed prioris infederationis quasi executio quædam est:  
Et quia juramentum de rebus ad mensam Prelati pertinet  
tibus, & non de rebus in feudum dari solitus, intelligitur, c.  
ex parte, & ibi communiter Canonistæ. Extra de feud. Dua  
ren. de F.c.6. Schrader. de F.p.4.c.2.n.18. & D.Rosenthal. de  
F.c.4.concl.22.n.1.cum seqq.in lit.a.

86. Item hac regula obtinet, et si Prelatus rem Ecclesie  
ad se reuersam, sanguine sibi juncto in feudum concedat, not.  
D.Rosenth. de F.c.4.concl.23. quia cum hoc non reperiatur  
prohibitum, non immerito permisum intelligitur.

87. Hoc tamen cum Doctoribus ita admittimus, si Pra  
lati cognatus non sit suspectus, non Ecclesie grauis, sed aquè  
idoneus, ac alijs extraneis, ut plurimos ad hoc probandum alle  
gant D.Vult.de F.d.lib.1.c.5. n.14. & D.Rosenthal.de F.c.4.  
conclus.23.n.3.in lit.a.

88. Non autem iam explicata regula semper locum ha  
bet: sed in aliquot casibus restringitur. Primo enim superio  
ri regula locus non relinquitur, si bona Ecclesie in feudum  
dari solita, incorporata sint Ecclesie, vel mensa Prelati: quia  
cum iam non amplius sint bona in feudum dari solita, non  
nisi obseruat is necessarijs solennibus infundari possunt.

89. Et hac incorporatio fit, vel expressè, vel tacitè, not.  
Schrader. de F.p.4.n.2. & n.24. & Menoch. de præsumpt.  
lib.6.c.87.n.1.

90. Expressè, veluti, si Prelatus aperte declarat, se velle  
bona illa ad mensam suam pertinere, ut docuit Barthol. in l.  
si vacantia, vlt. n.9.C.de boni vacant. lib.10.

91. Tacitè, veluti si patiente Prelato hæc bona ab Offi  
cialibus in aduersaria Ecclesie, in quibus bona mensa descri  
pta con-

pta continentur, relata sunt, not. Barthol. in d.l. si vacantia,  
n.9. & ibi Bald. n.7.

92. Quod si vero nec de expresso, nec de tacito Prelati  
consensu constat, & Prelatus ex bonis ad se reuersis aliquan  
diu fructus percepit, non satis inter DD. conuenit, quot an  
norum usus requiratur, ut hæc bona mensa Prelati incorpo  
rata intelligantur: quia alijs annum unum, alijs decem, alijs  
triginta, alijs quadraginta annos exigunt: alijs arbitrio judi  
cis id relinquendum existimant, ut horum opiniones recen  
set D.Rosenthal.de F.c.4.conclus.34.n.9.10. & II.in lit.i. k. l.  
& m.

93. Nobis posterior opinio arridet: quia cum certum  
tempus non sit à lege expressum: non male id arbitrio judi  
cis committitur arg.l.i.S.vlt.C.de jure delib.

94. Deinde superior regula locum nō habet, si Ecclesia  
tempore concessionis quidem fuit locuples: at eo tempore,  
quo feudum ad eam reuertitur, sit ad inopiam redacta: quia  
tum Prelatus feudum apertum retinere, & non denuo alte  
ri concedere debet, c. 2. vers. si videris expedire de feud. &  
not. Iacob. de Belluif.lib.1.F.tit.1. & post eum Aluarot. ibid.  
n.16. Præpos. nu.32.in fi. & Laudens. n.85.

95. Tertiò superiori regula non est locus, si res steriliis  
ita licui in feudum data fuit, ut excoletur. Hec enim si  
forte exulta ad Ecclesiam reuertitur, non potest nisi obser  
uatis solennibus de nouo infundari, not. Curt. Inn. de F.p.2.  
q.1.n.10. quia sublata prima infederationis causa, non imme  
rito in secunda infederatione, alius infundandi modus, quam  
in prima, obseruari debet: quod tamen communis usus non ob  
seruatur.

Tandem

96. Tandem superior regula non obtinet, si Prelatus rem ad se reuersam, non more solito, de nouo alterius infundat: quia res infundari solita, non potest de nouo infundari, nisi more solito, not. Schrader. de F.p. 4. c. 2. n. 22. Baro Schenck lib. 1. F. tit. 1. n. 21. & Zas. de F.p. 5. n. 60.

97. Velutis si feudum ante solius masculis dari fuit solitum: hoc Prelatus ad se reuersum, iterum masculis infundare debet: non autem masculis & feminis simul: quia illud fit more solito, hoc more insolito, fac. Mynsing. obseru. cent. 4. c. 88. Et hac de rebus infundari solitis.

98. Res in feudum non dari solita à Prelato, non nisi obseruatim ijs, que in alienatione rei Ecclesiasticae necessaria sunt, (de quibus in c. fine exceptione, 12. q. 2.) infundari possunt: quia infundatio est species alienationis, no. Aluarot. lib. 1. F. tit. 1. in pr. item n. 12. & Duaren. de F.c. 6. n. 12. Et hac de re aliena Ecclesiastica.

99. Secularis alienares iterum vel est publica, vel priuata.

100. Publica hoc loco res Imperij à nobis vocatur. Et hanc ab Imperatore in feudum concedi alijs posse, pluribus Schrader. de F.p. 4. c. 1. n. 7. cum seqq. probat: quia cum Imperator bonorum Imperij liberrimus sit Administrator: non male ea alteri in feudum dare poterit.

101. Opus tamen est, ut hac infundatio ex certa fiat scientia, not. Goden conf. 2. n. 5. ut Imperio jus Superioritatis reservetur, not. Laudens. lib. 2. F. tit. 56. neue in Imperij grauem lesionem vergat, arg. c. intellec. o, ubi no, Bald. & Abb. Extr. de jure iur.

102. Ex quo licet communiter DD. velint, Principem non

non posse in iuitis subditis, eos vel in totum, vel in partem distractere, & in alium Dominum transferre sec. Crauet. conf. 54. n. 3. cons. 2. 41. n. 9. & 15. & not. D. Vult. de F.c. 5. n. 15. tum. multi Principem eos infundare, vel subfeudare posse concedunt, quos allegat Cephal. conf. 155. n. 12. vol. 2. & Menoch. conf. 264. n. 59. hocq. generali Principum consuetudine receptum testatur Bald. lib. 2. F. tit. 34. §. ex eadem.

103. Verum si infundatio est species alienationis, ut paulo ante ex Aluaroto & Duaren probauimus: certè qui prohibitus est alienare, nec infundare poterit, ut post alios sentit Curt. de F.p. 2. q. 23. Et hac de re Seculari publica.

104. Prinata res aliena, duobus modis consideratur, vel respectu feudi, iam ante constituti, vel sine hoc respectu.

105. Priori casu, an feudum alienum alteri in feudum dari rursus posset, non immeritò quis ambigat.

106. Ratio dubitandi est: quia de alieno feudo, pure inuestitura facta, non valet, lib. 1. F. tit. 9.

107. Rectè: quia nemo plus juris in alterum transferre potest, quam habet. l. nemo. s. 4. D. de R. I.

108. At hæc dubitatio distinctione adhibita tollitur. Aut enim pure, aut non pure, alienum feudum alteri conceditur.

109. Priori specie, vera est superior dubitandi ratio.

110. At posteriori specie, si alienum feudum alteri sub conditione, vel in diem, vel in tempus mortis datum fuit, aliud non immeritò statuitur.

111. Exempli causa, Primus feudum, quod ante Secundo dedit, rursus Tertio sub conditione vel in diem concessit. Valet hæc concessio: quia interea Secundus mori potest.

112. At multo plus valet, Si Primus in tempus mortis Secundi, feudum Tertio dedit, no. Cuiac.lib.1.de F.tit.5. quia mortuo Secundo feudum in libera Primi est potestate: ut de eo pro libitu disponere possit.

113. Itaq; hoc casu, Dominus feudi non tam de rebus viuentis, quam de proprijs, in euentum mortis, disposuit, not. Bald. Aluarot. Matth. de Afflict. lib.1.F.tit.27. §. si quis inuestierit.

114. Quod si non de feudo, sed de alia re aliena agitur, ea omnino in feudum pure dari poterit: quia is qui huius rei inuestituram facit, non dominum, sed tantum possessionem feudit tradere, & transferre tenetur. lib.2.F.tit.8. §. vlt. & tit.26. §. si facta.

115. Nec refert, an Dominus sciat, vel ignoret, rem alienam esse, d.lib.2.F.tit.8. quia nihilominus rei alienae possessio transferitur, d.tit.8. ubi not. DD.

116. At plurimum refert, an hoc Vasallus sciuenterit, vel ignorauerit.

117. Si scivit, nec pacto euictionis sibi canit, concessio rei alienae nihil ei prodest: quia ei non competit actio de euictione contra dantem, d.lib.2.F.tit.8.item tit.80.87. & 96.

118. Cur hoc? Quia in acquirendo malam habuit fidem, d.tit.80. & quia deliquit inhibiendo illi rei, quam scivit esse alienam, arg. I. si sciens emam. 26.D. de contrah. empt.

119. Quod si vero ignorauit, ei concessio rei alienae omnino conductit, d.lib.2.F.tit.8. quia nihil deliquit: quia, inquam, nihil fecit, cur ei obesse deberet.

120. Et propterea ei Dominus indistincte de euictione obligatur: velut ei vacuam possessionem, vel aliud aquiu-

lens

lens feendum praestet. Nec liberatur praestando id, quod inter est, d.lib.2.tit.8. & tit.26. §. si facta de quo infra plura.

121. Ceterum haeres, de quibus iam egimus, tam propria, quam aliena, rursus in constitutione feudi considerantur, vel ut res immobiles, vel ut res solo cohaerentes, vel ut res quae rebus immobilibus annumerantur, vel deniq; ut res mobiles.

122. Primi generis res, nempè immobiles, ut territorium, fundus, in feudum omnino dari possunt, not. Schrader. de Feud. p.3.c.2.n.1. quia feudum est ususfructus quidam, in perpetuum alicui datus, diximus suprà lib.1.c.4.

123. At res soli, seures immobiles, perpetuae sunt, & in his propriæ ususfructus constitui potest. l.1. & toto tit. D. de usufr. Ergo.

124. Res autem immobilia vel est uniuersalis, vel singularis.

125. Uniuersalis, ut territorium. Hoc enim à Pomponio uniuersitas agrorum, intrà fines cuiusq; ciuitatis vocatur. l. Pupillus. 239. §. territorium. D. de V.S.

126. Et ita territorium ex Pomponij sententia, est uniuersitas agrorum unius Ciuitatis. d. §. territorium.

127. At ab Interpretibus hoc vocabulum latius accipitur. Nec sine ratione.

128. Siue enim dicamus, territorium à terendo, ut voleuit Varro lib.4.de ling. Latina. Siue à terendo deriuari, ut afferunt Pomponi in d.l.pupillus. §. territorium. & Siculus Flaccus de condition. agrorum, semper non tantum de uniuersitate agrorum unius Ciuitatis: sed latius accipi potest, ut hoc eleganter explicat Decian. cons. 123.n.17.18.19. & 20. vol.3.

129. Hinc territorio simpliciter alicui in feudum dato: etiam ea quae territorio coharent, data intelliguntur, ut sunt: iurisdictio, & alia jura, atq; emolumenta, que concedenti in territorio competierunt, Decian. d. cons. 123. n. 23. cum seqq. quia cum hac territorio insint, atq; coharent, cum eo concessa intelliguntur. Accessorium enim sequitur sum principale, c. accessorium, de R. I. in 6.

130. Sic territorio alicui in feudum cum pertinentijs concesso, omne ius, quomodo cum competens, tam presens, quam futurum concessum intelligitur: quia hoc omne ius verbum pertinentiarum comprehendit. l. verbum illud pertinere. 181. D. de V. S. respondit Decian. d. cons. 123. n. 28. & Paris. cons. 58. n. 44. vol. 3. Hac de re immobili uniuersali.

131. Singularis immobilis res est fundus, vel ager. Hinc fundo, vel agro in feudum dato, etiam fructus pendentes, vel stantes, dati intelliguntur, not. Zaf. de F. p. 4. n. 4. quia pars fundi, vel agri esse videntur. l. fructus 44. D. de Rei vindic.

132. Sic etiam fundo in feudum concesso, adficia, servitutes fundo debita, venationes, pescationes, & ea quae perpetui usus causa in fundo sunt, concessa intelliguntur, V. V. sensib. de F. c. 7. Schrad. de F. p. 3. c. 4. n. 3. Jacob. de S. Georg. in inuestit. feud. in verb. & in conuentionibus, item in verb. cum pescatoribus. & D. Vult. de F. lib. 1. c. 5. n. 4. quia haec omnia partim fundo coharent, & partim ad eum pertinent.

133. Pertinentiae autem fundi, in concezione fundi, non minus concessa intelliguntur, ac fundus ipse sec. Mcnoch. de presumption. lib. 3. c. 99. n. 7.

134. Non tamen admittimus, ut si in hoc fundo eretum sit patibulum, iccirco simul criminalis iurisdictio-

nem

nem & merum imperium datum esse, ut multi is not. Schrader. de F. p. 3. c. 4. n. 17. quia criminalis iurisdictio & merum imperium non nisi expresse, & speciali iure dari solent l. i. in pr. ubi no. D. de offic. cuius cui mand. est jurisdict. Itaq; fundo coharente dici non possunt. Et hac de rebus primi generis, nempe de rebus immobilibus.

135. Secundi generis res, nempe res que solo coharent, non minus, ac res immobiles in feudum dari possunt. lib. 2. F. tit. 1. §. vlt. quia haec quoq; perpetuae & fructuosa esse possunt.

136. Solo autem coharente illa res dicuntur, quae re immobili, vel solo affixa sita coharent, ut vel pars eius sint, vel ab ea omnino non separari, vel saltem non viriliter, & bone fidei intuitu, separari possint, not. Schrader. de F. p. 3. c. 2. n. 55. ex sententia Ferrar. Montani de F. lib. 2. c. 3.

137. Et haec similiter vel uniuersales, vel singularis sunt.

138. Uniuersales sunt Vrbs, Ciuitas, Castrum, Sylua, Vinea, & similes.

139. Hinc Vrbe, vel Ciuitate alicui in feudum simpliciter data, omnia ea, que ambitu urbis, vel Ciuitatis continentur, item iurisdictio, que urbi, vel ciuitati coharet, & alia urbis vel Ciuitatis jura, atq; emolumenta data intelliguntur. arg. l. 2. ubi not. Rebuff. D. de V. S. & Dec. d. cons. 123. n. 23. quia haec omnia Urbi, vel ciuitati coharent, vel ad eam pertinent.

140. Imò voces istae Vrbes, Ciuitates, Villæ, & similes, continent in se jurisdictionem, ut docet Innocent. in c. ex literis de jure patr. & alijs quos allegat Decianus cons. 40. n. 22. vol. 4.

141. Hinc etiam castro alicui in feudum simpliciter concessō, contra Oldrad. conf. 21. & Felin. in c. Rudolphus. in verb. territoriorum. Extr. de rescriptis, etiam territorium castri, quod certum est, concessum dicimus cum Baldo lib. 2. F. tit. 51. n. 11. quia territorium est instar corporis, at castrum instar eius capit is, sec. Socin. conf. 74. n. 3. vol. 1. ut non immetit caput à suo corpore non debeat separari, arg. l. cum in diversis. 4. & ibi not. Bald. D. de relig. & sumpt. fun. & quia castrum & territorium sunt connexa: ut uno concessō, recte quoq; alterum concessum intelligatur, c. translato. Extr. de constit. quia deniq; territorium castro subiectum esse solet: ut meritō uno translato, alterum quoq; translatum videatur, arg. l. si pater. 15. D. de adoptio. pluribus not. Schrader. de F. p. 3. c. 4. n. 22. cum seqq. ubi n. 31. contrarijs Oldradi argumentis respondet.

142. At castro alicui simpliciter in feudum dato, non statim jurisdictio simul data censetur: sed refert, an castro cohæreat, an non cohæreat.

143. Si cohæret, vñā cum castro data videtur, ut multis auctoritatibus confirmat Menoch. lib. 3. præsumpt. c. 97. n. 13. quia concessō principali, etiam accessoria & ei cohærentia concessa intelliguntur. l. creditor. 52. §. vlt. D. de action. empt. luxorem. 41. §. legauerat. D. de legat. 3. Accessorium enim sequitur suum principale. c. accessorium, de R. I. in. 6.

144. At si jurisdictio castro non cohæret, non simul data intelligitur: quia iam superior ratio cessat.

145. Ex quo recte Doctores contra Romanum affir- mant, si Princeps alicui simpliciter Castrum, cui non cohæret jurisdictio, in feudum dedit, jurisdictionem non simul datam

datam intelligi: præsertim si hac jurisdictio in urbe, cui cun- strum subiectum fuit, administrata fuerit, ut pluribus not. Menoch. d. c. 97. n. 1. cum seqq.

146. Sic castro alicui in feudum cum territorio dato, non solum jurisdictio, que territorio cohæret, sed etiam molendina, flumina publica, riuī, fontes, & syluae, item jura pa- tronatus, & alia Vasallo data intelliguntur, not. Schrader. d. p. 3. c. 4. n. 33. cum sequent. quia cum hac castro & territorio cohærent, & ad illa pertineant: merito cum illis data vi- dentur.

147. Non tamen idem de ijs rebus statuimus, que Do- minus in isto territorio, non tanquam Dominus territorij, sed tanquam priuatus possedit sec. Alex. de Imol. in l. 3. in pr. n. 21. D. de acquir. posse. & Ias. in l. vlt. n. 7. D. de constit. Princ. quia cum hac territorio & Castro non cohærent, nec adea pertinere dici queant: non quoq; in datione feudi contineri possunt.

148. Præterea Castro alicui cum jurisdictione & im- perio dato, quid datum intelligatur, valde controversum est, ut pluribus not. Menoch. lib. 3. præsumption. c. 97. Nos quid de hac re statuendum sit, in tractatu de jurisdictione. c. 8. expli- cauimus: Hac de castro.

149. Hinc sylua vel vinea alicui in feudum data, non tantum arbores, vel vites: sed etiam solum, quo continen- tur, data intelliguntur sec. Bald. in l. 1. n. 30. & ibid. Ias. n. 100. C. de jur. Emphyt. quia Sylua, & Vineæ, ex arboribus & viti- bus constant: & quia Sylua, & Vineæ, sine solo, nullus usus esse posset. Arbores enim & vites solo cohærent.

150. Et propterea arboribus & vitiis planè extirpa- tis, non

tis, non sic circò feudum extinguitur: quia adhuc solum feudi nomine apud vasallum manet, arg. l. si fundum sub conditio-  
ne. 81. §. qui fundum, in fi. D. de legat. i. Et hac de re univer-  
sali que solo coheret.

151. Singularis res que solo coheret, est domus, vel e-  
dificium, molendinum, locus, stagnum, fluminis, piscina, &  
similes.

152. Hinc domo, vel edificio, alicui in feudum dato, o-  
mnia illi domui affixa, l. Julianus. 13. §. vlt. cum Legib. seqq.  
D. de action. emp. & quae perpetua adiunctorum utilitati seruitur,  
ut claves, serae, claustra, l. fundi. 17. D. de act. emp. l. cetera. 41.  
§. hoc Senatus consultum & ibi nos. Alex. D. de legat. i. item  
seruitutes debitae, si aqueductus. 47. D. de contrah. empt. in  
feudum data intelliguntur: quia haec omnes res adibus coha-  
rent, & ad eas pertinent, dictis LL.

153. Hinc quoque molendino in feudum dato, simul so-  
lum, cui coheret, datum videtur, arg. corum, que paulo ante  
de Sylva & vinea diximus.

154. Non tamen omnia molendina in feudum dari pos-  
sunt: sed refert, an solo cohaerent, vel non cohaerent.

155. Primo casu in feudum dari possunt: quia sicut gra-  
naria, quorum stipites in terra defossi sunt, pars sunt adiunctorum,  
l. granaria. 18. D. de action. emp. ita horum exemplo non ma-  
le & molendina, que solo cohaerent, pars soli esse videntur:  
& consequenter in feudum recte dantur, sec. Curt. de F. p. I.  
q. 6. n. II.

156. Et hoc casu accipimus quod Bald. in l. certi iuris. 5.  
C. de Locat. molendinum dixit rusticum predium esse.

157. At secundo casu, propter diuersam rationem, ius  
quoque

quod est diuersum, ut in molendinis, qua in aquis natant,  
sec. Rip. in l. 2. D. de fluminib. & in molendinis, quae a ventis  
agitantur, arg. l. Titius horreum. 60. D. de acq. rer. dom.

158. Quoniam enim haec solo non cohaerent, non pro re-  
bus immobilibus, sed mobilibus habentur, & consequenter  
in feudum dari nequeunt, sec. Rip. in d. l. 2.

159. Hinc denique lacu, stagno, flumio, vel piscina in  
feudum dati, non tantum solum, sed etiam pisces dati intel-  
liguntur sec. Zas. in tract. de F. p. 4. n. 3. quia solo cohaerent: &  
quia pisces sunt loco fructuum.

160. Et propter ea ut fructus sunt pars fundi, l. fructus  
44. D. de Rei Vind. ita etiam pisces, lacus, stagni, flumij, vel pi-  
scinae fructus esse videntur: Et hac de rebus secundi generis,  
nempè de rebus solo cohaerentibus.

161. Tertiè generis res sunt res, quae rebus immobilibus  
anumerantur.

162. Et haec quoque res recte in feudum dantur, d. lib. 2. F.  
tit. r. §. vlt. quia cum a rebus immobilibus dependeant, non  
sine ratione jure immobilium censentur: & quia etiam per-  
petua, & fructuosa esse possunt.

163. Huius autem generis res, vel sunt corporales: vel  
incorporales.

164. Corporales sunt: veluti si Dominus certam sum-  
mam pecunie alicui in feudum concedit, ut eam quotannis  
ex suo arario accipiat: Vel si Dominus vinum, oleum, fru-  
mentum, hordeum, avenam, & similes res alicui in feudum  
tribuit, ut eas quotannis ex cella, vel horreo suo accipiat:  
quod utrumque fieri posse, & priori modo feudum Camera, at  
posteriori feudum de Caneua constitui, Suprà lib. 1. c. 6. ostendim-  
us.

165. Iccircò autem in his casibus vinum, oleum frumentum, & similes res rectè in feudum dantur: quia rebus immobilibus annumerantur?

166. An per se? Minimè. Per se enim considerata, verè sunt res mobiles: quia de loco in locum moueri possunt. Et propterea per se rebus immobilibus annumerari non possunt.

167. Quomodo ergò? Ratione erarij: item ratione cœla, vel horret. Nam quia haeres à rebus immobilibus dependent, & quia ex rebus immobilibus penduntur, ex eo, jure immobilium censentur, not. DD.lib.2.F.tit.1.§.vlt.

168. Deinde res corporales sunt etiam alij annui redditus, quām iam explicati, qui similiter rebus immobilibus annumerantur, in q. feudum dari possunt, sec. Andr. de Isern. Prepos. Matth. de Afflict. & alios d.lib.2.F.tit.1.§.vlt. & fac. Clem. extui §.cūrg, annui redditus, de V.S.

169. Et hoc locum habet non tantum in ijs redditibus, qui ex re immobili, sed etiam qui ex societate aliqua, velex menso Numularij quotannis præstantur, not. Andr. de Isern. & Matth. de Afflict. d.lib.2.F.tit.1.§.vlt. Zaf. de. F.p.4.n.9. & Joan. Ferrar. de F.lib.2.c.2. quia omnes hi redditus singulis annis renascuntur, prout alij fructus, per not. in l. fructus. 71. §.diuortio. §. si vir. D. Solut. matrim. refert & sequitur Curt. de F.p.1. & quiaratione rei immobilis, & loci commercialis hi redditus pro rebus immobilibus habentur sec. Zaf. d.p.4. num.9.

170. Necesse tamen est hos redditus esse perpetuos, nec merè personales, sec. Bald. in l.hac edictali 6. §. is illud n. 2. C. de secund. nupt. & Mozz. de F. de rebus que in feudum dari possunt.

possunt, n.10. quia perpetui redditus præcipue pro rebus immobilibus habentur d. Clem. extui. §.cūrg, annui redditus: & qua redditus merè personales, habentur pro rebus mobilibus, qua in feudum dari nequeunt, vt mox dicetur.

171. Sic quoq; necesse est hos redditus ex negotiacione licita prouenire, not. Zaf. de F.p. 4.n.9. & Joan. Ferrar. de F. lib.2.c.5.

172. Ex quo redditus, qui paucis tantum annis durant, et si ex re immobili percipiuntur in feudum dari nequeunt: quia non pro immobilibus, sed pro mobilibus rebus habcri possunt, not. Matth. de Afflict. & alij d.lib.2.F tit. 1. §. vlt. & Schneid. de F.p.2.n.40.

173. Ex quo etiam redditus qui ex Lulanari, vel ex societate seu negotiacione usuraria quotannis percipiuntur, in feudari nun possunt, arg. l. si remunerandi. 6. §. rest turpis, & l. si mandanero. 22. §. qui adem. D. Mand. not. Zaf. d.p.4. n.7. Joan. Ferrar. d.lib.2.c.3. & Schneid d.p.2.n.26.

174. Ea enim facta, quæ lœdunt pietatem, aestimationem, & verecundiam nostram, & generaliter contrabenos mores flunt, & turpia sunt: ca nec facere nos posse credendum est, ait Papin. in l.filius. 15. D. de conditi. on. institut. conc. l. si à reo. 70. in fi. D. de fideiussor.

175. Et propterea cum Schraderro de F.p.3.c.3. n. 6. explodimus Andreæ de Isernia opinionem, qui lib.2.F.tit.25. putauit, etiam turpes & inhonestos redditus in feudum dari posse; Et hac de rebus corporalibus, quæ immobilibus annumerantur.

176. Incorporales res, quæ rebus immobilibus annumerantur, sunt jura. Hac enim sunt incorporalia §. Incorporales. Instit. de reb.corp. & incor.

177. An autem hæc in feudum dari possint, non imme-  
rito quis ambigat: quia possessio feudi transit ad vasallum,  
lib. 2. F. tit. 8. §. vlt. & quia Dominus possessionem feudi va-  
sallo tradere, d. lib. 2. tit. 26. eumq; in possessionem mittere  
cogitur, d. lib. 2. tit. 7.

178. At rerum incorporalium nulla est possessio, l. 4.  
§. si viam. 27. D. de usurp. & usurp. nulla quoq; traditio l.  
seruus. 43. §. i. D. de acq. rev. dom. Ergo.

179. Verum his nihil obstantibus jura in feudum dari  
posse dicimus, ut communiter not. DD. lib. 2. F. tit. 1. §. vlt.  
Vesemb. de F. c. 7. n. 6. & Moz. de F. de reb. qua in feud. dari  
poss. n. 5.

180. Et si enim iurum, ut rerum incorporalium, pro-  
priè & meritorie non est possessio, nec traditio, dictis LL. est  
tamen quasi possessio, l. ait Prator. 23. §. item ei. D. Ex quib;  
caus maior. Et quasi traditio l. 3. D. de usuf. l. si ego emi. 11. §.  
1. D. de Publ. in rem act. & l. vlt. D. de seruitur.

181. Et propterea non male jura quoq; in feudum dan-  
tur: quia etiam perpetua & fructuosa esse possunt.

182. Hæc autem jura vel sunt regalia, vel non regalia.

183. Regalia rursus vel sunt maiora, vel minora.

184. Maiora regalia sunt, quæ ad supremam Principis  
potestatem pertinent: veluti sunt regales dignitates, ut  
Marchionatus, Ducatus, Comitatus conferre, Spurios legi-  
timare, fame restituere, veniam atatis concedere, legem  
condere, tabelliones creare, absoluere à juramento ad effe-  
ctum agendi, Magistratus creare, & Academias constitu-  
re, not. Borchold. in c. unic. quæ sint regalia. nu. 4. & D. Vult.  
de F. lib. 1. c. 5. n. 7.

Et hæc

185. Et hæc regalia ab Imperatore alteri in feudum da-  
ri possunt: quia cum sint in Imperatoris potestate, is ea dare  
alteri non immoritò in feudum potest. lib. 2. F. tit. 56. ubi not.  
DD. Nam etiam perpetua & fructuosa esse possunt.

186. Videmus tamen hæc maiora regalia raro & par-  
cissimè ab Imperatore infeudari.

187. Minora regalia sunt, quæ ad fiscum Imperatoris  
pertinent, velut in Armandia, via publica, flumina publi-  
ca nauigabilia, portus, ripatica, vectigalia, ius cuendæ mo-  
netæ, ius multitudi & puniendi, ius bonorum vacantium ap-  
prehendendorum, bona indignis ablata, bona incestum com-  
mittentis, bona damnatorum & proscriptorum, bona com-  
mittentis crimen laesa Maiestatis, Angariae, & Parangariae,  
Extraordinaria collatio ad felicissimam regalis numinis  
expeditionem, potestas constituendorum Magistratum,  
Argenti & aurifodina palatia, pescationum redditus, Sal-  
narum vectigal, & thesauri dimidium, in loco Cesaris, aut  
religioso, non data opera, reperti de quibus agitur in d. c. v-  
nic. Quæ sint regal. ubi no. Borchold. n. 21. cum seqq. & D.  
Vult. de F. lib. 1. c. 5. n. 7. §. minora regalia.

188. Et hæc quoq; minora regalia rectè in feudum dan-  
tur: quia similiter perpetua & fructuosa esse possunt d. lib. 2.  
F. tit. 56. Et hæc de iuribus regalibus.

189. Non regalia jura sunt alia jura, quam quæ sunt  
explicata.

190. Huius generis sunt jura venandi, pescandi, aucu-  
pandi, Aduocatæ, actiones, & similia.

191. Hinc jura venandi, pescandi, & aucupandi alicui  
in feudum rectè dantur: quia rebus immobilibus anume-  
rantur:

D 3 rantur:

erantur: & quia perpetua & fructuosa esse possunt, not. DD. lib. 2. F. tit. 1. §. vlt.

192. Hinc etiam in Germania, & praecepue in Alsatia, jus Aduocatiae, die fasten vogtey in feudum concedi receptum est: quia perpetuum & fructuosum esse solet. Transit enim ad heredes, & quotannis suos fructus afferit.

193. Sic videmus hoc jure, non nullos in Alsatia, ab Episcopo Argentinense in uestitose esse.

194. Hinc quoq; actiones, tam personales, quam reales, adres immobiles competentes in feudum dari possunt, sec. Bald. Aluarot. Prapos. & Matth. de Afflict. lib. 2. F. tit. 1. §. vi. quia etiam perpetua & fructuosa esse possunt.

195. Habentur enim pro immobilibus not. Barth. in l. i. n. 4. C. si aduersus transact. quia qui habet actiones, res ipsas habere videtur. l. actionis 34. ubi not. D. de V. S. & l. is qui actionem, 15. D. de R. I.

196. Referre tamen dicimus, an per actionem res immobilis: an vero mobilis exacta fuerit.

197. Priori casu feudum subsistit: quia iam adest res immobilis, & ita propria materia feudi.

198. At posteriori casu feendum non subsistit: quia non adest propria materia feudi.

199. Et hoc postexius tum fieri solet: quando in potestate & arbitrio debitoris, vel creditoris fuit, vel rem immobilem, vel mobilem soluere.

200. Si enim mobilem soluit, iam vasallus de talire in uestitus reperitur, qua in feendum dari nequit. d. lib. 2. F. tit. 1. §. vlt. & consequenter hac in uestitura non subsistit not. Schraderus de F. p. 3. c. 3. n. II.

201. Et

201. Et propter eatum Domino feudi conductio sine causa competit, arg. l. i. & l. nihil referri. 4. D. de conduct. sine caus. quia iam res a iusta causa, ad non causam deducta est, Schrader. d. c. 3. n. 13. Et haec de rebus tertij generis.

202. Tandem quarti generis res, sunt res mobiles.

203. Et haec in feendum dari non possunt, not. DD. d. lib. 2. F. tit. 1. §. vlt. quia feendum est perpetuum & fructuosum.

204. Vsusfructus enim feudi non tantum ad vasallum, sed etiam eius heredes pertinere debet, lib. 1. F. tit. 1. §. hoc quoq; sciendum, & lib. 2. F. tit. 23. §. vlt.

205. At res mobiles nec perpetua sunt, nec propriè vsumfructum admittunt.

206. Non perpetuae sunt: quia rebus mobilibus non utimur: sed abutimur. Eas enim utendo consumimus: quia illarum vsus, consumptio est.

207. Non etiam propriè vsumfructum admittunt: quia hic propriè tantum in rebus immobilibus locum habet. l. i. & tot. tit. D. de usufr.

208. Rebus enim immobilibus propriè utimur: quia ex his salua substantia fructus percipere possumus, d. l. i. D. de usufr.

209. At non idem est in rebus mobilibus: quia dum his utimur: & fructus & res ipsas plerung; perdimus. Utendo enim res mobiles consumuntur.

210. Et hoc est quod Nonius Marcellus dixit. Abuti non tantum esse vti re ad alium finem, quam comparata est: sed etiam esse utendo consumere.

Item

211. Item quod in libello de proprietate & differentia Latini Sermon. ex Aelio Donato & Aruntio Celsio, Vtimur, dicitur, fructibus rei, quae ab amantibus saluo usu nobis subministrantur: Abutimur, quando desperdimus rem & fructum. Usui est ager domus: Abusui vinum, oleum, & cætera huiusmodi, refert & sequitur Borchold. de F.c.6.n.33.

212. Vnde dicimus recte Bald. Aluarot. & Preposit. lib.2.F.tit.25. affirmasse, Feudum non posse in pecunia consistere: quia si pecunia ab accipiente consumitur, Dominus feudi proprietatem amittit: Si vero accipiente eam in arca retinet, nullum inde usum fructum percipit, contra jus Feudorum lib.2.tit.23. §. vlt. ut non immerito ea de causa Domino condicione detur.

213. In quo tamen refert, an Dominus sciuerit, iure feudorum rem mobilem in feudum dari non posse: an vero id ignorauerit.

214. Si sciuit non datur ei condicione: quia pecuniam illam alteri donasse videtur. sec. Andr. de Isern. d.lib.2.F.tit. 25.num.3.

215. Si vero ignorauit, omnino pecuniam condicione repetere potest: quia ubi de damno vitando agitur, juris ignorantia excusat. liuris ignorantia. 7. & l. regula. 9. D. de juri. ignor. & quia indebitum quocunq; errore solutum, recte repetitur. arg. l. sed & si me putem. 22. in pr. D. de condic. indeb. & l. cuius per errorem. 54. D. de R.I.

216. Vnde quoque Henningi Gôden opinionem rejecimus: qui conf. 18. n. 3. putauit, pecuniam ex vendito feudo redactam profendo haberi: quia non solum huic opinioni ante dicta

dictationes repugnant, sed etiam ea lib.2.F.tit.26. §. si vasallus, in si. refutatur: ubi dicitur id quod quis transactionis nomine accepit feudum non esse: & ita negatur premium loco rei succedere.

217. Qua de causa contrariam sententiam sequuntur Isern. Præpos. Matth. de Afflict. d. tit. 26. Schurff. cent. 1. conf. 11. & 22. eamq; communiorum testatur Vesemb. de F. c.7.n.9.

218. Imo hanc posteriorem sententiam adeò quidam veram arbitrantur: ut licet inter agnatos, vel fratres conuenerit, quod pecunia ex feudo redacta feudi natura massumeret, ing. ea soli masculi succederent, haec tamen conuentio, etiam jurata, nullius sit momenti. sec. Andr. de Isern. Præpos. Matth. de Afflict. lib.2.F. tit. 25. Schurff. conf 11. cent. 1. & Borchold. de F.c.6.n.14. quia siue pecunia consumatur, siue in arca retineatur: id tamen semper juri feudorum repugnat d lib.2.F.tit.23. §. vlt.

219. Nec Iacobo Ardilioni de F.c.27. Blanco de F.lib.1. c.6.n.7 & Matth. de Afflict. lib.2.F.tit.1. §. vlt. n. 8. astipulatur: qui feudum in rebus mobilibus praedita cautione consistere posse arbitrati sunt: cum pecunia, & ceterarum rerum mobilium, que in abusu consistunt, praedita cautione, quasi usus fructus constitui possit. l. hoc Senatus consulto. 5. §. 1. & tot. tit. D. de usu fr. ear. rer. quae usu consum.

220. Verior enim nobis contraria videtur esse sententia: quia feudum debet esse perpetuum: lib. 1. F.tit.1. §. hoc quoq; sciendum. & lib.2.F.tit.23. §. vlt. at cautio usufructuaria temporalis est, & morte usufructuarij extinguitur. §. sed viilitatis. Inst. de usu fr. & quia in feudo dominium penes Dominum manet: lib.2.F.tit.23. §. vlt. at cautione usu-

E fructuaria

fructuaria plenè interueniente, rerum mobilium dominii in usufructuarium transit. l. si vini olei. 7. D. de usufr. ear. rer. quæusu consum. ut hoc explicauit Andr. de Ifern. lib. 2. F. tit. 25. quos alij securi sunt, ut not. Borchold. de F. c. 6. n. 34

221. Etsi vero, ut iam ostendimus, res mobilis in feudum dari non possit: id tamen sequentibus in casibus locum non habet.

222. Nam primò si is cui res mobilis in feudum data est, tanquam Vasallus Domino fidelitatem præstare, & servitia exhibere sponte velit, datio rei mobilis omnino subsistere videtur. sec. Andr. de Ifern. Aluarot. Præposit. & Matt. de Afflict. d. lib. 2. F. tit. 25 quia cum Vasallus suo juri, ne scilicet re mobili in feudum concessa obligetur, renunciarit, non immerito ex sua voluntate pro Vasallo habetur. arg. l. pen. C. de pact.

223. Licet enim res mobilis pacto contrahentium rei immobilis naturam assumere nequit: tamen Vasallus suam personam obligare potuit, arg. l. venditor. 13. in pr. D. Commun. præd. not. Schrader. de F. p. 3. c. 1. n. 12.

224. Deinde si quis alteri pecuniam ea conditione in feudum concescit, ut ex ea bona immobilia compararet, eaq. feudi nomine possideret. Hoc casu si ex pecunia accepta nulla immobilia bona emit, adhuc tamen volente Domino non immerito pro Vasallo habetur, sec. Bald. nu. 7. & Matth. de Afflict. n. 48. lib. 2. F. tit. 25. quia si conditioni paruisse, iam feudi nomine res immobiles possideret.

225. Et propterea sibi imputet, qui conditionem non implevit: & consequenter volenti Domino servitia feudalia præstet, not. Schrader. de F. p. 3. c. 1. nu. 13.

Quod

226. Quod si tamen Dominus pecuniam repetere malit: id e illicet, sec. Matth. de Afflict. d. lib. 2. F. tit. 25. quia is qui pecuniam à Domino certa lege accepit, eam non impletuit. fac. l. i. & 2. C. de donat. que sub mo. & not. Schrader. de F. p. 3. c. 1. n. 14.

227. Tertiò in consequentiam res mobiles in feudum dari possunt: ut si quis alteri fundum cum equis, & bovis, ibi existentibus, in feudum concedit, not. Jacob. de Beluiso lib. 2. F. tit. 1. §. vlt. & ibi Bald. & Aluarot. n. 6. Præpos. nu. 5. & Matth. de Afflict. n. 27. quia in hac datione non tam res mobiles, quam fundus principaliter consideratur: & quia res mobiles propter expressam Domini voluntatem, fundo quodammodo cohædere videntur.

228. Et propterea hoc casu Vasallus in locum mortuum, vel in utilium animalium alia semper substituere tenetur, arg. l. vetus. 75. §. vlt. cum l. seq. D. de usufr. & not. Schrader. d. p. 3. c. 1. n. 16. & 17.

FINIS QVINTAE FE  
dalis disputationis.

